



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

Qvid Sit Sacrificivm Et Qvæ Sint Sacrificii Species.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

Toro iam decennio infinita penè volumina ediderunt aduersarij de sacrificio, neq; quisquam eorum definitionem sacrificij hæcenus posuit. Tantùm arripiunt nomen sacrificij, vel ex scripturis, vel ex Patribus. Postea affingunt sua somnia, quasi verò sacrificium significet, quidquid ipsis liber.

QVID SIT SACRIFICIUM ET QUÆ SINT SACRIFI- CII SPECIES.

SOCRATES in Phædro Platonis ait, se maximè stupidum esse diuisionum, quòd sine his nihil neq; explicari dicendo, neq; intelligi possit, ac si quem deprehenderit peritum diuidendi, hunc inquit se affectari, eiusq; tanquam Dei vestigia sequi. Et iubet diuidentem in ipsis articulis membra secare, ne quòd membrum mali eoqui more quassatum frangat. Sed hæc præcepta aduersarij magnificè contemnunt, ac verè sunt iuxta Platonem *καὶ τοὶ μάλιστα*, sacrificij membra corrumpentes, quemadmodum intelligi poterit; cùm species sacrificij recensuerimus:

Theologi rectè solent distinguere sacramentum & sacrificium. Sit igitur genus horum, vel ceremonia, vel opus sacrum. Sacramentum est ceremonia, vel opus, in quo Deus nobis exhibet hoc, quòd offert annexa ceremoniæ promissio, vt Baptisimus, est opus, nò quòd nos Deo offerimus, sed in quo Deus nos baptizat, videlicet, minister vice Dei, & hinc offert & exhibet Deus remissionè peccatorum, &c. iuxta promissionem: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. E contra, Sacrificium est ceremonia, vel opus, quòd nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus. Sunt autem sacrificij species proximæ duæ, nec sunt plures. Quoddam est sacrificium propiciatorium, id est, opus satisfacto-

rium pro culpa, & pœna, hoc est, reconcilians Deum seu placans iram Dei, seu quod meretur alijs remissionem peccatorum. Altera species est sacrificium *εὐχριστόν*, quod non meretur remissionem peccatorum aut reconciliationem, sed fit à reconciliatis, ut procepta remissione peccatorum, & pro alijs beneficijs acceptis, gratias agamus, seu gratiam referamus.

Has duas species sacrificij magnopere oportet & hac controuersia, & in alijs multis disputationibus conspectu & ab oculis positas habere, & singularem diligentia cauendum est, ne confundantur. Quod si finis huius libri pateretur, rationes huius diuisionis adderemus. Habet enim satis multa testimonia in Epistola ad Ebræos & alibi. Et omnia sacrificia Leuitica hæc membra referri, tanquã ad sua domicilia possunt. Dicebantur enim in lege quædam propiciatoria sacrificia propter significationem, seu similitudinem, quod meretur remissionem peccatorum coram Deo. Sed quia merebantur remissionem peccatorum secundum iustitiam legis, ne illi, pro quibus fiebant, existerentur ab ista politia. Dicebantur itaq; propiciatoria pro peccato, pro delicto, holocaustum. Illa uero erant *εὐχαιεστία*, oblatio, libatio, retributiones, primitiæ, decimæ.

Sed reuerà unicum tantum in mundo fuit sacrificium propiciatorium, uidelicet mors Christi, ut docet apostolus ad Ebræos, quæ ait: Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Et paulo post de voluntate Christi: In qua voluntate sanctificatus sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Et si factas interpretatur legem, ut sciamus, mortem Christi uerè esse satisfactionem pro peccatis nostris, seu expiationem, non ceremonias legis, quare ait: Postquam posuerit animã suam, hostiam pro delictis, videbitur men longeuũ, &c. Nam uocabulum *εὐχριστόν* quod

LB

vsus est, significat hostiam pro delicto, quæ in lege si-
 gnificauit, quod venturus esset hostia quædam, satisfac-
 ctura pro peccatis nostris, & reconciliatura Deum, vt
 scirent homines, quod non propter nostras iustitias,
 sed propter aliena merita, videlicet Christi, velit Deus
 nobis reconciliari. Paulus idē nomen **ἵνα** inter-
 pretatur peccatum, Rom. 8. ^{v. 7.} de peccato damnauit pec-
 catum, id est, peccatum puniuit de peccato, id est, per
 hostiam pro peccato. Significantia verbi facilius in-
 telligi potest ex moribus gentium, quos videmus ex
 Patrum sermonibus malè intellectis acceptos esse, La-
 tini vocabant piaculum, hostiam, quæ in magnis cala-
 mitatibus, vbi insigniter videbatur Deus irasci, offere-
 batur ad placandam iram Dei, & litauerunt aliquando
 humanis hostijs, fortassis quia audierant, quondam hu-
 manam hostiā placaturam esse Deum toti generi hu-
 mano. Græci alibi *ναδάπτιατα*, alibi *παινήματα* ap-
 pellauerunt. Intelligunt igitur Esaias & Paulus Chri-
 stum factum esse hostiam, hoc est, piaculum, vt ipse
 meritis, non nostris reconciliaretur Deus. Maneat ergo
 hoc in causa, quod sola mors Christi est verè propicia-
 torium sacrificium. Nam *Leuitica* illa sacrificia propi-
 ciatoria, tantum sic appellabantur ad significandum
 futurum piaculum. Propterea similitudine quadam e-
 rant satisfactiones redimentes iustitiam legis, ne ex po-
 litia excluderentur isti, qui peccauerant. Debebant au-
 tem cessare post reuelatum Euangelium. Et quia ces-
 sare in Euangelij reuelatione debebant, non erant verè
 propiciationes, cum Euangelium ideo promissum sit,
 vt exhibeat propiciationem.

Nunc reliqua sunt sacrificia *ἑυχαριστιὰ*, quæ vocā-
 tur sacrificia laudis, prædicatio Euangelij, fides, inuo-
 catio, gratiarum actio, confessio, afflictiones sanctorū,
 Imò omnia bona opera sanctorum. Hæc sacrificia

non

non sunt satisfactiones pro facientibus, vel applica-
les pro alijs, quæ mereantur eis ex opere operato
missionem peccatorum, seu reconciliationem. Fin-
enim à reconciliarijs, Et talia sunt sacrificia noui tes-
tamenti, sicut docet Petrus 1. Petri 2. Sacerdotium fi-
ctum, vt offeratis hostias spirituales. Opponuntur
tem hostiæ spirituales, non tantum pecudibus, sed
iam humanis operibus, ex opere operato oblati, quæ
spirituale significat motus Spiritus sancti in nobis.
docet Paulus Rom. 12. exhibete corpora vestra, hostias
viuentem, sanctam, cultum rationalem. Significat
tem cultus rationalis, cultum, in quo Deus intelligitur
mente apprehenditur, vt fit in motibus timoris, &
ducia erga Deum. Opponitur igitur non solum cultus
Leuitico, in quo pecudes mactabantur, sed etiam cul-
tui, in quo fingitur opus ex opere operato offerri. Ideo
docet Epistola ad Ebraeos cap. 13. Per ipsum offeramus
hostiam laudis semper Deo, & addit interpretationem
id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. I-
bet offerre laudes, hoc est, inuocationem, gratiarum
actionem, confessionem & similia. Hæc valent non
opere operato, sed propter fidem, Id monet particula
per ipsum offeramus, hoc est, fide in Christum.

In summa cultus noui testamenti est spiritualis, hoc
est, est iustitia fidei in corde, & fructus fidei. Ideo
rogat Leuiticos cultus. Et Christus ait, Iohan. 4. Vt
adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.
Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Deus
spiritus, & eos, qui adorant eum, in Spiritu & veritate
oportet adorare. Hæc sententia clarè damnat opinio-
nes de sacrificijs, quæ fingunt ex opere operato vale-
re. Et docet, quod oporteat spiritu, id est, motibus car-
dis, & fide adorare. Ideo & Prophetæ damnant in ve-
t. testamento opinionem populi de opere operato, &
docent iustitiam, & sacrificia spiritus, Ieremæ 7. N

sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de holocaustis & victimis, Sed hoc verbum præcepi eis dicens, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, &c. Quomodo existimemus, Iudæos hanc concionem excepisse, quæ videtur palam pugnare cum Moysè? Constabat enim, Deum præcepisse Patribus de holocaustis ac victimis, sed Ieremias opinionem de sacrificijs damnat, hanc non tradiderat Deus, videlicet, quòd illi cultus ex opere operato placarent eum. Addit autem de fide, quòd hoc præceperit DEVS, Audite me, hoc est, credite mihi, quòd ego sim Deus vester, quòd velim sic innotescere, cum misereor & adiuuo, nec habeam opus vestris victimis, confidite, quòd ego velim esse Deus, iustificatior, saluator, non propter opera, sed propter verbum & promissionem meam, à me verè & ex corde petite, & expectate auxilium.

Damnat opinionem de opere operato & Psalmus 49. qui repudiatis victimis, requirit inuocationem. Nunquid manducabo carnes taurorum, &c. Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & honorificabis me. Testatur hanc esse veram λατρείαν, hunc esse verum honorem, si ex corde inuocemus ipsum. Item Psal. 39. Sacrificium & oblationem noluisti. Aures autem aperuisti mihi, id est, verbum mihi proposuisti, quod audirem, & requiris, vt credam verbo tuo, & promissionibus tuis, quòd verè velis misereri, opitulari, &c. Item Psal. 50. Holocaustis non delectaberis Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Item Psal. 4. Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Iubet sperare, & dicit, id esse iustum sacrificium, significans cætera sacrificia non esse vera, & iusta sacrificia. Et Psal. 115. Sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Vocat inuocationem hostiam laudis.

R

Sed

Sed plena est scriptura talibus testimonijs, quæ docent quòd sacrificia ex opere operato non reconciliantur, Ideoq; in nouo testamento abrogatis cultibus iudæis docet fore, vt noua & munda sacrificia fiant, scilicet, fides, inuocatio, gratiarum actio, confessio, prædicatio Euangelij, afflictiones propter Euangelium, & similia.

Et de his sacrificijs loquitur Malachias: Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & oblatio munda. Hunc locum detorquent uersarij ad Missam, & allegant autoritatem Patris Facili est autem responsio, quòd, vt maximè loquitur de Missa, non sequatur, Missam ex opere operato iustificare, aut applicatam alijs mereri remissionem peccatorum, &c. Nihil horum dicit Propheta, quod Monachi & Sophistæ impudenter affingunt.

Cæterum ipsa Prophetæ uerba offerunt sententiam Primùm enim hoc proponunt, magnum fore nomen Domini, Id fit per prædicationem Euangelij. Per hanc enim innotescit nomē Christi, & misericordia Patris Christo promissa cognoscitur. Prædicatio Euangelij parit fidem in his, qui recipiunt Euangelium, Hi inuocant Deum, hi agunt Deo gratias, hi tolerant afflictiones in confessione, hi bene operantur propter gloriam Christi. Ita fit magnum nomen Domini in gentibus. Incensum igitur & oblatio munda, significant non ceremoniam ex opere operato, sed omnia illa sacrificia per quæ fit magnum nomen Domini, scilicet fides, inuocacionem, prædicationem Euangelij, confessionem, &c. Et facillè patimur, si quis hic uelit complecti ceremoniam, modò neq; intelligat solam ceremoniam, neq; doceat ceremoniam ex opere operato potuisse. Sicut enim inter sacrificia laudis, hoc est, in laudes Dei complectimur prædicationem uerbi:

laus esse potest, seu gratiarum actio, ipsa sumtio cœnæ Domini, sed non ex opere operato iustificans, aut applicanda alijs, vt mereatur eis remissionem peccatorum. Sed paulò pòst exponemus, quomodo & ceremonia sacrificium sit. Verùm quia Malachias de omnibus cultibus noui testamenti, non solùm de cœna Domini loquitur, item quia non patrocinator Pharisaicæ opinionis, de opere operato, ideò nihil contra nos facit, sed magis adiuuat nos. Requirit enim cultus cordis, per quos verè sit magnum nomen Domini.

Citatur ex Malachia & alius locus: Et purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Hic locus apertè requirit sacrificia iustorum, quare nò patrocinator opinioni de opere operato. Sunt autem sacrificia filiorum Leui, hoc est, docentium in nouo Testamento, prædicatio Euangelij, & boni fructus prædicationis, sicut Paulus ait, Rom. 15. Sacrificio Euangelium Dei, vt oblatio gentium fiat accepta, sanctificata Spiritu sancto, id est, vt gentes fiant hostiæ, acceptæ Deo per fidem, &c. Nam illa mactatio in lege, significabat & mortem Christi, & prædicationem Euangelij, qua hanc verustatem carnis mortificari oportet, & inchoari nouam & æternam vitam in nobis. Sed aduersarij vbiq; sacrificij nomen ad solam ceremoniam detorquent, prædicationem Euangelij, fidem, inuocationem, & similia omittunt, cùm ceremonia propter hæc instituta sit, Et nouum testamentum debeat habere sacrificia cordis, non ceremonialia pro peccatis facienda, more Leuitici sacerdotij.

Allegant & iuge sacrificium, quòd sicut in lege fuit iuge sacrificium, ita Missa debeat esse iuge sacrificium noui testamenti. Bene cum aduersarijs agitur, si patimur nos vinci allegorij. Constat autè, quòd allegorix non pariunt firmas probationes. Quanquam nos

quidem facilè patimur, Missam intelligi iuge sacrificium, modò vt tota Missa intelligatur, hoc est, ceremonia cum prædicatione Euangelij, fide, inuocatione, gratiarum actione. Nam hæc simul coniuncta, sunt iuge sacrificium noui Testamenti, quia ceremonia propter hæc instituta est, nec ab his diuellenda est. Ideo Paulus ait. Quoties comedetis panem hunc, & poculum Domini bibetis, annunciate mortem Domini. Illud verò nullo modo sequitur ex hoc typo Leuitico quòd ceremonia sit opus ex opere operato iustificans aut applicandum pro alijs, vt mereatur eis remissionem peccatorum, &c.

Et typus aptè pingit non ceremoniã solam, sed etiam prædicationem Euangelij. In Num. cap. 28. tres ponuntur partes illius quotidiani sacrificij, crematio agni, libatio, & oblatio similæ. Lex habebat picture seu umbras rerum futurarum. *Ideo in hoc spectaculo Christus, & totus cultus noui Testamenti pingitur.* Crematio agni significat mortem Christi. Libatio significat, ubiq; in toto mundo credentes illius agni sanguine aspergi per Euangelij prædicationem, hoc est, sanctificari, sicut Petrus loquitur: In sanctificatione spiritus, in obedientiam, & asperisionem sanguinis Iesu Christi. Oblatio similæ, significat fidem, inuocationem, & gratiarum actionem in cordibus. Vt igitur in veteri Testamento umbra cernitur, ita in nouo res significata quærenda est, non alius typus tanquam ad sacrificium sufficiens. Quare etiamsi ceremonia est memorialis mortis Christi, tamen sola non est iuge sacrificium; sed ipsa memoria est iuge sacrificium, hoc est, prædicatione & fides, quæ verè credit, Deum morte Christi reconciliatum esse. Requiritur libatio, hoc est, effectus prædicationis, vt per Euangelium aspersi sanguine Christi, sanctificemur, mortificati, ac viuificati. Requiritur & oblationes, hoc est, gratiarum actiones, confes-

*Quid crematio agni,
libatio, et oblatio
similæ adumbrave-
rit.*

siones & afflictiones. Sic abiecta Pharisæica opinione de opere operato, intelligamus significari cultū spiritua- lem, & iuge sacrificiū cordis, quia in nouo testamento corpus bonorum, hoc est, Spiritus sanctus, mortifica- tio & viuificatio, requiri debent. Ex his satis apparet, typū de iugi sacrificio nihil contra nos facere, sed ma- gis pro nobis, quia nos omnes partes significatas iugi sacrificio requirimus. Aduersarij falsò somniant solam ceremoniam significari, non etiam prædicationē Euan- gelij, mortificationem & viuificationem cordis, &c.

Nunc igitur boni viri facilè iudicare poterunt, fal- sissimam hanc criminationem esse, quòd iuge sacrifi- cium aboleamus. Res ostendit, qui sint Antiochi illi, qui regnum tenent in Ecclesia, qui prætextu religio- nis trahunt ad se regnum mundi, & abiecta cura reli- gionis & docendi Euangelij, dominantur, belligeran- tur velut reges mundi, qui novos cultus instituerūt in Ecclesia. Nam aduersarij in Missa solam retinent cere- moniam, eamq; conferunt publicè ad sacrilegum qua- stum. Postea lingunt hoc opus applicatum pro alijs, mereri eis gratiam, & omnia bona. In concionibus non docent Euangelium, non consolantur conscientias, non ostendunt gratis remitti peccata ppter Christum, sed pponunt cultus sanctorum, satisfactiones humanas, traditiones humanas, per has affirmant homines corā Deo iustificari, Et harū quædā cum sint manifestè impiæ, tamen vi defenduntur. Si qui concionatores volūt perhiberi doctiores, tradunt quæstiones Philosophi- cas, quas neque populus, neq; ipsi, qui proponunt, in- telligunt. Postremò, qui sunt tolerabiliores, legem do- cent, de iustitia hdei nihil dicunt. Aduersarij in confu- tatione miras tragœdias agunt de desolatione tem- plorum, quòd videlicet stent inornatæ aræ, sine can- delis, sine statuis. Has nugas iudicant esse ornatum Ec- clesiarum. Longè aliam desolationē significat Daniel,

videlicet ignorantem Euangelij. Nam populus obrutus multitudinē & varietate traditionum atq; opinionum, nullo modo potuit complecti summam doctrinæ Christianæ. Quis enim vnquam de populo intellexit doctrinam de pœnitentia, quam aduersarij tradiderunt? Et hic præcipuus locus est doctrinæ Christianæ, vexabantur conscientiarum enumeratione delictorum & satisfactionibus. De fide, qua gratis consequimur remissionem peccatorum, nulla profus fiebat aduersarijs mentio, de exercitijs fidei luctantis, cur desperatione, de gratuita remissione peccatorum propter Christum omnes libri, omnes conciones aduersarij mutæ erant. Adhæc accessit horribilis prophætatio Missarum, & alij multi impij cultus in templis. Hæc est desolatio, quam Daniel describit.

Econtra Dei beneficio apud nos seruiunt ministri verbi sacerdotes, docent Euangelium de beneficio Christi, ostendunt remissionem peccatorum gratis contingere propter Christum. Hæc doctrina affert firmam consolationem conscientijs. Additur & doctrina bonorum operum, quæ Deus præcipit. Dicitur de dignitate atq; vsu sacramentorum. Quòd si iuge sacrificium esset vsus Sacramenti, tamen nos magis retineremus quàm aduersarij, quia apud illos sacerdotes mercato conducti vtuntur Sacramento. Apud nos crebrior & religiosior vsus est, Nam populus vtitur, sed prius institutus, atq; exploratus. Docentur enim homines de vero vsu Sacramenti, quòd ad hoc institutum sit, vt sit sigillum, & testimonium gratuitæ remissionis peccatorum. Ideoq; debeat pauidas conscientias admoneri vt verè statuunt & credant sibi gratis remitti peccata. Cùm igitur & prædicationem Euangelij & legitimum vsu sacramentorum retineamus, manet apud nos iuge sacrificium. Et, si de externa specie dicendum est frequentia in templis apud nos maior est, quàm apud

adua

aduersarios. Tenentur enim auditoria vtilibus & per-
picuis concionibus. Verum aduersariorum doctri-
nam, nunquam neq; populus, neq; doctores intellexe-
runt. Et verus ornatus est Ecclesiarum, doctrina pia,
vtilis & perspicua, vsus pius Sacramentorum, oratio
ardens, & similia. Candelæ, vasa aurea, & similes orna-
tus, decent, sed non sunt proprius ornatus Ecclesiarum.
Quod si aduersarij in talibus rebus collocant cultus,
non in prædicatione Euangelij, in fide, in certamini-
bus fidei: sunt in istis numerandi, quos Daniel descri-
bit colere Deum suum auro & argento.

Allegant & ex Epistola ad Ebræos: Omnis Ponti-
fex ex hominibus assumptus, pro hominibus, constitui-
tur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrifi-
cia pro peccatis. Hinc ratiocinantur, cum in nouo Te-
stamento sint Pontifices & Sacerdotes, sequitur, quod
sit & sacrificium aliquod pro peccatis. Hic locus vel
maximè mouet indoctos, præsertim, cum illa pompa
sacerdotij & sacrificiorum veteris Testamenti offundi-
tur oculis. Hæc similitudo decipit imperitos, vt iudi-
cent, oportere ad eundem modum apud nos existere
aliquod ceremoniale sacrificium, applicandum pro
peccatis aliorum, sicut in veteri Testamento. Neq; aliud
est ille cultus Missarum, & reliqua politia Papæ, quam
νεκροζηνλία Leuiticæ politicæ malè intellectæ.

Et cum sententia nostra habeat præcipua testimo-
nia in Epistola ad Ebræos, tamen aduersarij locos ex
illa Epistola truncatos contra nos detorquent, vt in
hoc ipso loco, vbi dicitur, Pontificem constitui, vt of-
ferat sacrificia pro peccatis, Scriptura ipsa statim atte-
xit Christum Pontificem. Verba præcedentia de Leuiti-
co sacerdotio loquuntur, & significant, Leuiticum Pon-
tificatum fuisse imaginem Pontificatus Christi. Nam sa-
crificia Leuitica pro peccatis, non merebantur remis-
sionem peccatorum coram Deo, tantum erant imago

sacrificij Christi, quod vnum futurum erat propiti-
um sacrificium, vt supra diximus. Itaq; Epistola
na ex parte consumitur in hoc loco, quod vetus Pe-
rificatus, & vetera sacrificia non fuerint ad hoc insti-
ta, vt mererentur remissionem peccatorum coram De-
seu reconciliationem, sed tantum ad significandum fu-
turum sacrificium vnus Christi. Oportuit enim sa-
ctos in veteri Testamento iustificari fide, ex promissi-
one remissionis peccatorum, donandæ propter Chri-
stum, sicut & sancti in nouo Testamento iustificati.
Omnes sanctos ab initio mundi sentire oportuit, in-
stiam & satisfactionem fore pro peccato, Christum, qui
promissus erat, sicut Esaias docet cap. 53. Cū posuerit
animā suam hostiā pro peccato, &c. Cū igitur in ve-
teri Testamento sacrificia non mererentur reconcilia-
tionem, nisi similitudine quadam (Merebantur enim
reconciliationem politicam) sed significarent ventu-
rum sacrificium : Sequitur vnicum esse sacrificium
Christi, applicatum pro aliorum peccatis. Nullum igitur
reliquitur in nouo Testamento sacrificium ap-
plicandum pro peccatis aliorum, præter vnum Christi
sacrificium in cruce.

Tota via errant, qui fingunt, sacrificia Leuitica ce-
ram Deo meruisse remissionem peccatorum, Et hoc
exemplo sacrificia applicanda pro alijs in nouo Testa-
mento requirunt præter mortem Christi. Hæc imagi-
natio simpliciter obruit meritum passionis Christi,
iustitiam fidei, & corrumpit veteris & noui Testame-
ti doctrinam, & pro Christo altos mediatores & pro-
piciatores nobis efficit Pontifices & sacrificulos, qui
quotidie vendunt operam suam in templis.

Quare si quis ita argumentatur, oportere in nouo
Testamento Pontificem esse, qui pro peccatis offerat
tantum de Christo concedendum est. Et hanc solutio-
nem confirmat tota Epistola ad Ebræos. Et id profu-

esset alios mediatores constituere præter Christum, si aliam satisfactionem applicandam pro peccatis aliorum & reconciliantem Deum, præter mortem Christi requireremus. Deinde quia sacerdotium noui testamenti est ministerium spiritus, vt docet Paulus 2. Corinth. 3. Ideo vnicum habet sacrificium Christi satisfactorium & applicatum pro peccatis aliorum. Cæterum nulla habet sacrificia similia Leuiticis, quæ ex opere operato applicari pro alijs possint, sed exhibet alijs Euangelium, & Sacramenta, vt per hæc concipiant fidem, & Spiritum sanctum, & mortificentur & viuificentur, quia ministerium spiritus pugnat cum applicatione operis operati. Est enim ministerium spiritus, per quod Spiritus sanctus efficax est in cordibus, quare habet tale ministerium, quod ita prodest alijs, cum in eis efficax est, cum regenerat & viuificat eos. Id non fit applicatione alieni operis, pro alijs ex opere operato.

Ostendimus rationem, quare Missa non iustificet ex opere operato, nec applicata pro alijs mereatur eis remissionem, quia vtrunq; pugnat cum iustitia fidei. Impossibile est enim remissionem peccatorum contingere, vinci terrores peccati & mortis, vlllo opere, aut vlla re, nisi fide in Christum, iuxta illud: Iustificati ex fide pacem habemus. Ad hæc ostendimus, scripturas, quæ contra nos citantur, minimè patrocinari impiæ opinioni aduersariorum de opere operato. Idq; iudicare omnes boni viri apud omnes gētes possunt. Quare repudiandus est error Thomæ, qui scripsit, corpus Domini semel oblatum in cruce, pro debito originali, iugiter offerri pro quotidianis delictis in altari, vt habeat in hoc Ecclesia munus ad placandum sibi Deum. Repudiandi sunt & reliqui cōmunes errores, quòd Missa conferat gratiam ex opere operato facienti. Item, quòd applicata pro alijs, etiam iniustis non ponentibus obicem, mereatur eis remissionem peccatorum,

culpæ & pœnæ. Hæc omnia falsa, & impia sunt, nuper ab indoctis Monachis conficta, & obruunt gloriam passionis Christi, & iustitiam fidei.

Et ex his erroribus infiniti alij nati sunt, quantum Missæ valeant applicatæ simul pro multis, quantum valeant singulæ pro singulis. Sophistæ habent descriptos gradus meritorum, sicut argentarij gradus ponderum in auro aut argento. Deinde, vendunt Missam, tanquam precium ad impetrandum, quod quisque appetit, Mercatoribus, ut fœlix sit negotiatio, venatoribus, ut fœlix sit venatio. Et alia infinita. Postremò, transferunt eam & ad mortuos, liberant animas applicatione sacramenti, à pœnis purgatorij, cum sine fide nec viuis Missæ profit. Neq; ex scripturis aduersarij afferunt vel vnâ syllabam possunt ad defensionem istarum fabularum, quas in Ecclesia magna autoritate docent, Neq; Ecclesiæ veteris, neq; Patrum testimonia habent.

Quid Patres de Sacrificio senserint.

ET quoniam loca Scripturæ, quæ contra nos citantur, explicauimus, de Patribus etiam respondendum est. Non ignoramus, Missam à Patribus appellari sacrificium, sed hi non hoc volunt, Missam ex opere operato conferre gratiam, & applicatam pro alij mereri eis remissionem peccatorum, culpæ & pœnæ. Vbi leguntur hæc portenta verborum apud Patres? sed aperte testantur, se de gratiarum actione loqui. Ideoq; vocant *ευχαριστιαν*. Diximus autem supra, sacrificium *ευχαριστιαν* non mereri reconciliationem, sed fieri à reconciliatis, sicut afflictiones non merentur reconciliationem, sed tunc sunt sacrificia *ευχαριστιαν*, quando reconciliati sustinent eas. Et hoc responsum in genere ad Patrum dicta, satis tuetur nos contra aduersarios. Ceterum est enim, illa signa de merito operis operati

ausquam extare apud Patres. Sed vt tota causa magis
perspici possit, dicemus & nos de vſu sacramenti, ea,
quæ certum est consentanea esse Patribus & Scri-
pturæ.

DE VSV SACRAMENTI, ET DE SACRIFICIO.

QUIDAM belli homines fingunt, cœnam Domini
institutam esse propter duas causas. Primum, vt
sit nota & testimonium professionis, sicut certa
forma cuculli est signum certæ professionis. Deinde
cogitant, præcipuè talem notam Christo placuisse, vi-
delicet conuiuium, vt significaret mutuan inter Chri-
stianos coniunctionem atq; amicitiam, quia symposia
sunt signa fœderum & amicitia. Sed hæc opinio est
ciuilis, nec ostendit præcipuum vſum rerum à Deo
traditarum, Tantùm de caritate exercenda loquitur,
quam homines prophani & ciuiles vtcunq; intelli-
gunt, De fide non loquitur, quæ quid sit, pauci intelli-
gunt.

Sacramenta sunt signa voluntatis Dei erga nos, non
tantùm signa sunt hominum inter sese. Et rectè de-
finiunt sacramenta in nouo testamento esse signa gra-
tiæ. Et quia in sacramento duo sunt, Signũ & Verbum;
Verbum in nouo testamento est promissio gratiæ ad-
dita, Promissio noui testamenti est promissio remissio-
nis peccatorum, sicut Textus hic dicit: Hoc est corpus
meum, quod pro vobis datur. Hic est calix noui testa-
menti, cum sanguine meo, qui pro multis effundetur in
remissionem peccatorum. Verbum igitur offert remis-
sionem peccatorum. Et ceremonia est quasi pictura ver-
bi seu sigillum, vt Paulus vocat, ostendens promissio-
nem. Ergo sicut promissio inutilis est, nisi fide accipia-
tur, ita inutilis est ceremonia, nisi fides accedat, quæ
verè statuat hic offerri remissionem peccatorum.

Et